Universitäts- u. Landesbibliothek Halle/S.
Morbio 23 (112)

In Nomine domini Amen Anno Nativitatis eiusdem Millesimo quadringentesimo Nonagesimo / Indictione octava / Die Martis sextodecimo mensis Martii / Cum alias Magnificus Comes
dominus Antonius de Mandello natus Magnifici quondam Comitis domini ottonis primum patronus ecclesie sanctorum Cosme et damiani in Carubiolo Mediolani per suum legitimum procuratorem ad id legitime
constitutum seu substitutum / sub certis pactis et condicionibus in instrumento per me notarium infrascriptum Die veneris quinto mensis Junii anni MCCCCLXXXnono proxime preteriti desuper confecto
contentis atque specificatis / Jus patronatus sibi competens in dicta ecclesia sanctorum Cosme et damiani titulo donationis venerabilibus dominis priori fratribus et conventui monasterii sancti hyeronimi
de Castellatio ordinis monachorum heremitarum eiusdem sancti Mediolani diocesis in Curia Romana sponte et libere cessisset / Et facta huiusmodi iuris patronatus cessione / Sanctissimus in christo
pater et dominus noster dominus Innocentius divina providentia papa octavus Memoratam ecclesiam sanctorum Cosme et damiani in Carubiolo Mediolani / tunc per liberam domini fratris
Baptiste de Bruoscho olim ipsius ecclesie ultimi beneficiati et rectoris seu eius procuratoris eius nomine In manibus prelibati sanctissimi domini nostri pape factam et per sanctitatem
suam admissam renuntiationem vacantem cum omnibus iuribus et pertinentiis suis universis per suas litteras apostolicas more solito romane curie in filo serico Cum cordulis
rubeis coloris bullatas cum et sub pactis desuper nominatis predicto monasterio sancti hyeronimi de Castellatio perpetuo univerit annexerit et incorporavit / prout latius patet
dictis litteris apostolicis Datis Rome apud sanctum petrum anno Incarnationis dominice Millesimo quadringentesimo octuagesimonono undecimo kalendas decembris pontificatus prefati
domini nostri pape anno sexto / quequidem littere se refferunt ad dicta pacta perpetuo a dictis dominis priore fratribus et conventu dicti monasterii de Castellatio attendenda
et observanda et non aliter / Nunc autem pro parte prefatorum dominorum prioris fratrum et conventus dicti monasterii sancti hyeronimi de Castellatio dubitantium de
intentione et voluntate prefati Magnifici Comitis domini antonii qualis fuit in predictorum pactorum observatione executio tenenda / Instatum atque rogatus fuit idem Magnificus
Comes dominus Antonius aliqua ex dictis pactis sub ambiguitate relicta declarare debere / ut infra videlicet / Primo igitur et principaliter predicti domini prior fratres et conventus dicti
monasterii de Castellatio dubitant circha illud pactum ubi legitur / Item si contigerit prefatos dominos priorem fratres et conventum dicti monasterii de Castellatio qui sunt vel per
tempora erunt non observare et non adimplere predicta quod dicta donatio sit nulla et privati intelligantur dicto iure patronatus etc. / Utrum si aliqua occasione vel causa
contigerit in futurum per se vel per eos qui erunt inposterum in dicto monasterio predicta pacta in toto aut in parte non adimplere / Dummodo quam primum opportunitas se
obtulleret omnia integrum obmissa alio die vel anno supplendo adimpleverint / nunquid propterea de mente prefati Magnifici Comitis Antonii fuisset ipso facto ipsos
dominos priorem et conventum dicta unione dicte ecclesie ac donatione predicta esse privatos / Ad cuius dubitationis declarationem prefatus Magnificus Comes dominus Antonius
in presentia mei notarii et testium infrascriptorum ad hec vocatorum et rogatorum respondit et dixit de Mente eius fuisse et esse / Quod si propter guerras aut pestes contigerit
dictos dominos priorem fratres et conventum prenarrati monasterii predicta pacta in toto vel in parte non adimplevisse / eo casu alio die vel anno immediate sequenti obmissa
integre supplendo sufficiat / neque propterea intelligatur predicta donatione seu unione se esse privatos / Item Circa illud pactum de providendo de uno Capellano perpetuo
temporibus qui sit residens ad dictam ecclesiam etc. prout Latius in dictis pactis continetur / Ipsi domini prior fratres et conventus debitant quantum ad illa verba ubi dicitur /
et si contigerit adesse aliquem sacerdotem de agnatione de mandello / Quod prefati domini prior et fratres teneantur accipere ipsum pro Capellano ad predicta etc. / Utrum si talis sacerdos
de agnatione de mandello contigerit non esse sufficientem et bone vite / Si non obstantibus hiis volunt ad dictam curam talem assumi / Ad quod dictus dominus Comes Antonius
respondit et dixit ac voluit et vult / Quod sacerdos si fuerit repertus de agnatione de mandello accipiatur in dicte ecclesie capellanum ut in pactis predictis habetur / Dummodo
ipse sacerdos de agnatione predicta sit bone vite ut in pactis habetur / Item Circa Illud pactum de ponendo Insignia prefati Magnifici Comitis domini Antonii in marmore
sculpta super porta magistra et turrina dicte ecclesie / Et desubtus faciendo continentiam pactorum in premisso instrumento contentorum etc. dicti domini prior et conventus dubitant an ipsa omnia
pacta de verbo ad verbum prout iacent in ipso instrumento / aut tantummodo eorum continentiam desubtus facere debeant / Ad quod dictus Magnificus Comes dominus Antonius
respondendo dixit et dicit / Quod si pacta ipsa de verbo ad verbum desubtus deberent difficile redderetur / Et magna prolixio esset / Ideo tantummodo voluit et vult desubtus
debere continentiam seu effectum ipsorum pactorum sub hac verborum forma videlicet / Has Mandella Comes Domus aedes stirpe vetusta / Hieronimi titulo nempe patrona
Locat / Jura dedit patribus quaeque ipsa receperat istis / Annos dum cunctos annua tura Canant / Preterea maneat propria degente sacerdos / Si fuerit aut alius
qui pia sacra ferat / Quibus declarationibus et specificationibus sic ut supra factis prefatus Magnificus Comes dominus antonius ad hec instante venerabili viro domino
fratre Seraphino de Bizannis professo dicti monasterii de Castellatio Ibidem in mei notarii et testium infrascriptorum ad hec vocatorum et rogatorum presentia instante et requirente
ac suo et dominorum prioris et conventus memorati monasterii stippulante et recipiente / voluit et vult predicta pacta in instrumento procure seu mandati per ipsum Magnificum
Comitem dominum Antonium factum per me iam dictum infrascriptum notarium confecto sub die veneris quinto mensis Junii anni proxime preteriti contenta atque specificata cum declarationibus
et specificationibus superius anotatis / et non aliter nec alio modo valida esse ac rata grata et firma perpetuisque temporibus duratura / Renuntiando prefatus Magnificus
Comes dominus antonius exceptioni non facti et non celebrati huiusmodi instrumenti declarationis et specificationis talium ut supra / et predictorum omnium et singulorum non sic actorum et factorum
omnique probationi et defensioni in contrarium / Et de predictis rogatum fuit per me notarium infrascriptum publicum debere confici instrumentum / Actum in domo habitationis prefati Magnifici
Comitis domini antonii sita in porta Cumana parochia sancti thome in Cruce sicharioirum Mediolani / presentibus Ibidem providis viris Bernardino de Badelio filio domini francisci
et Arnoldo Vorderzcht clerico Leodiensis Ambobus commorantibus porte et parochie / Testibus omnibus ydoneis ad premissa vocatis specialiter et rogatis /

Ego Michael de Cisero Civis Mediolani / publicus Imperiali auctoritate / et Curie Archiepiscopalis Mediolani notarius / premissis omnibus
et singulis dum sic ut premittitur agerentur et fierent unacum prenominatis testibus presens fui / et inde de eis rogatus dicti domini
fratris Seraphini hoc presens publicum instrumentum confeci et hic me subscripsi / Signumque meum hic apposui consuetum in fidem et testimonium
omnium premissorum /

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1858528992-10
DFG

1490. 16. Martij

Declaratio facta p. D. Comit. Ant.º de Mandello una cu reformatione aliquorum factorum contentorum in contro renunciationis iuris Patronatus Ecclesie S.torum Cosme et Damiani in Carub. M.ri Patribus de Castellatio pro Unione, et ulterius descripti videntur de verbo ad verbum Instrum.ti fiendi ad memoria perpetua d.i D. Co. de Mandello

In forma authen.

notaro Michele Cicer

Mazzo

B. N.º 13.

Morbio 23. (112)